

Johannes de Jenštejn, De schismate

1. Verto luctum in citharam
et organum in fletum,
ecclesia nam viperam
in sinu fert et letum.

2. O Deus alme, adiuva,
reforma, quae plasmasti,
orthodoxam concilia
fidem, quam adunasti.

3. Vanus vane mundus plane
malitia senescit,
dicam sane, nam profane
virtutibus tabescit.

4. Hinc amplius progrediar,
hoc schisma tam infaustum
animarum interitum
mortisque parat haustum.

5. Reges adulescentuli
gubernant fines saeculi,
et recentes vernaculae
insurguntque latrunculi.

6. Dei, proh, fit oblivio
clerique persecutio,
iam viduae cum orphano
cessavit miseratio.

7. Nunc, reges, intelligite,
qui iudicatis terram,
ecclesiae dirimite
et concuncate guerram.

8. Si vis urbanus fieri,
Urbanum profitere,
fuge tortosum colubrum,
antipapam sincere.

9. Tu ergo, a flagitio
qui gliscis liberari,
ora matrem cum filio,
possis ut adiuvari.

10. O Christe, rex pacifice,
pelle item discordiae,
Maria, mater gratiae,
nunc placa regem gloriae.